

TABULA 27.

SALVIA ARGENTEA.

SALVIA foliis oblongis duplicato-crenatis rugosis lanatis, bracteis calyce brevioribus, verticillis superioribus abortivis.

S. argentea. *Linn. Sp. Pl.* 38. *Willden. Sp. Pl. v. 1.* 149.

Sclarea orientalis, verbasci folio, flore partim albo partim flavescente. *Tourn. Cor.* 10.

Αἰθρία in Idâ nascens *Dioscoridis?* *Sibth.*

In monte Parnasso. ♂.

*Radix* biennis. *Caulis* erectus, bipedalis, tetragonus, sulcatus, pilosus, foliosus, apice paniculato-ramosissimus. *Folia* petiolata, oblonga, obtusiuscula, duplicato-crenata, rugosa, venosa, utrinque lanata; superiora subsessilia, basi que cordata. *Petiole* lanati. *Verticilli* parùm remoti, numerosi, subsexflori, quorum tres vel quatuor superiores omninò steriles sunt, aut gemmis florum abortivis tantùm constant. *Bractee* vix calyci aequales, cordatae, acuminatae, integerrimae, hirtae. *Flores* brevius pedicellati, secundi, magni, formosi, albi. *Calyx* tubulosus, quinquedentatus, aristatus, pilosus, viscidus, dentibus vix fastigiatis. *Corolla* calyce triplo longior, palato fulvo. *Stamina* alba, appendicibus retusis, compressis.

a, a. Corolla cum staminibus.

b. Calyx atque pistillum.

c. Calyx fructus.

d, d. Semina.

MORINA.

*Linn. G. Pl.* 18. *Juss.* 194.

*Corolla* inaequalis. *Calyx fructus* monophyllus, dentatus, inaequalis: *floris* bifidis. *Semen* unicum, calyce floris coronatum.

TABULA 28.

MORINA PERSICA.

MORINA persica. *Linn. Sp. Pl.* 39.

M. orientalis, carlinae folio. *Tourn. Cor.* 48. *It. v. 2.* 120. *cum icone.*

In montibus Parnasso et Cylleni, ad campos elatos fertiliores, Augusto florens.

*D. Hawkins.* ♀.